

ANTUN SLAVKO KALENIĆ
Nacionalna i sveučiliška
biblioteka
Zagreb

UDK 807. 3—73

DE TEXTU HERMANNI TRACTATUS QUI DE ESSENTIIS INSCRIBITUR

Apstrakt: Mnogi znanstvenici, koji su se na temelju Haskinova i Alonsova izdanja pozabavili istraživanjem Hermanove rasprave „O bitima“, tužili su se na nerazumljivost autorova jezika. Ali referentova je analiza pokazala da za takvu nerazumljivost nije krivo samo neznajne i neupućenost prepisivača, nega najvećim dijelom nemar izdavača.

ad liberalium et ingenuarum doctrinarum cultum atque ad humanitatem antiquam posteritati propagandam Hermannum Dalmatam magni momenti fuisse inter omnes constat. cuius auctoritatem litterarum in studiis aetatis, quae vocatur media, Charles¹ Homer Haskins¹ laudibus efferebat praedicans Hermannum inter scholasticos duodecimi saeculi exstitisse unum ex insignibus ferrariis in tractu Arabicarum scientiarum, imprimis sane earum, quae ad antiquam philosophiam naturalem, id est mathematicam et physicam, astrologiam et astronomiam pertinerent; et, quod de Carnutensis scholae Platonicae discipulo cum maxime statuendum esset, eundem fuisse cum Aristotelis philosophia intima familiaritate coniunctum. perinde Hermannum Dalmatam litteraria in colonia Europae medii aevi quacumque ratione nobilem locum intercessoris obtinuisse. ad ultimum Haskinsius addidit: mirabilis est Hermannii operum index et in posterum fore ut alia quoque adhuc forsitan ignota eius opera patefiant utique nobis sperandum est.

multa in Dominici Gundissalini tractatu, qui de processione mundi intitulatur, ex Hermanniano de essentiis opere fluxisse manifeste ostendit Manuel Alonso² atque a Gundissalino numerosos Hermannii

¹ cf. *Studies in the History of Mediaeval Science*. Cambridge. Harvard University Press 1924, p. 43—66.

² cf. *Herman de Carinthia. De essentiis*. Edición preparada y anotada per el P. Manuel Alonso. Universidad Pontificia Comillas (Santander) 1946.

locos, si non plane ad litteram exscriptos, at certe licentissime interpolatos esse in medium protulit. deinde novum quoddam scribendigenus et technicorum rationem verborum — praecipue breves elocutiones permultasque detractationes — non esse Gundissalini sua ac propria, sed prorsus Hermannii. videtur demum vir hicce doctissimus omnio fuisse scriptor tum maxime placens.

verum tamen per longa saecula Hermannii Dalmatae nomen incredibilem in modum latitavit. nam saepissime eum membra rei publicae litterariae confundebant cum Hermanno Contracto iniuriam illi facientes. ipsius autem de essentiis tractatus in manu scripto Londiniensi³ Adelardo Bathonico falso attribuitur. amplius: neque Simoni Ljubić, qui vir ingenio ac doctrina longe praestantissimus primus, nisi fallor, apud nos de Hermanno Dalmata scripserat⁴, anno iam tum 1856 quidquam praeter duas interpretationes Hermannianas et unum solum opusculum, quod de statu Saracenorum inscribitur, notum erat.

atqui hodie tractatu de essentiis iam dudum formis litterarum descripto accuratissima doctrinae Hermannianae notitia nobis iure optimo exspectanda esset. sed superis altier visum est, — licet multi profecto alii post Haskinsium et Alonsum eruditi homines quaedam ad quaestionem istius tractatus spectantia elocuti sint. quorum ex numero nonnulli Haskinsio⁵ consentientes censent illum tractatum variam potius coacervationem esse diversarum scientiarum ac doctrinarum quam opus constans et sibi congruens. quae vero ad illius loquendi rationem pertinent, perspicuitati orationis — de virorum quorundam philologorum sententia — Latinorum artis vocabulorum egestas ut nova in materia ad tot tantarumque rerum gravissimum argumentum subiecta scriptorem nostrum non raro impediens detrimontum intulit. ita quidem nonnulli. verum enim vero sunt etiam (quorum nomina praetereo), qui linguam Latinam Hermanno utpote Slavoparum familiarem fuisse arbitrentur, nec non alteri insuper, modestiores, qui Hermannum ecclesiae, quae tum erat, catholicae convicium fugiturum de industria perplexe disseruisse putent. quae mihi nulla videtur ad veritatem accedere.

nam primum quidem vix dubitari potest, quin Latinitate pura emendate uti sciverit vir, quem supparet eidem aetati litterati homines magistrum eximium appellavissent, qui veterum librorum iudicio scholasticus subtilis ingeniosusque fuisset, quem peritissimum utriusque linguae, Latinae scilicet et Arabicae, fuisse iidem praedicavissent. scriptorem vero, qui antiquos elegantissimi sermonis Latini artifices Ciceronem et Senecam, qui Vergilium, Ovidium, Lucanum, qui permultos etiam alios Latinitatis auctores videlicet clarissimos, quemadmodum ex eius tractatu evidenter cognoscitur, exquisitissime

³ cf. musei Britannici Cotton Ms. Titus D. IV, f. 75—138v.

⁴ cf. Dizionario biografico degli uomini illustri della Dalmazia. Compilato dall' Ab. Simeone Gliubich di Città Vecchia. Vienna 1856, p. 175. 176.

⁵ cf. p. 66 libri laudati supra ad n. 1.

noverat, eum propriis in artium verbis non fuisse optime versatum equidem adduci non possum ut credam. immo mehercle, qui acutissimi et litterati ingenii scholasticus a Petro illo Venerabili nominatus esset, illum prorsus promptissimum lingua calamoque Latino fuisse omni modo proximum vero est. quod autem ad ea attinet, quae nescio quis de calumnia religionis vitanda sermocinatur, nempe id ad nihilum recidit: fac enim sis Hermannum scripta sua ad studia litterarum pertinentia reapse a quibusdam qualibet ex nota viris ecclesiasticis intellegi noluisse, at tamen luce clarius patet, si quis opus suum palam faciens se ipsum consulto in periculum committeret, eum ne utquam istud tali quodam inconcinno atque omnino inscito loquendi genere pessum daturum fuisse. ad summam, ne suspicari quidem possumus quempiam sanum tam stolidam atque irritam litterarum viam ullo pacto mente agiturum fuisse, methodum deformitatis plenam, fructu carentem.

Hermannii de essentiis tractatus tribus nobis, quod sciamus, manu scriptis traditus est. quorum antiquissimus et — quamvis atque ipse mendis plurimis foedatus — fide dignissimus est codex Neapolitanus bibliothecae notionalis⁶ saeculo duodecimo scriptus, qui integrum tractatus simul cum picturis linearibus textum continet. sequitur bonitate aliquanto inferior etsi ad menda aliorum corrigenda nonnumquam perutilis codex Londiniensis musei Britannici⁷ saeculo quarto decimo exaratus, cuius autem codicis textus est mutilus principio et fine. tertius superest codex Oxoniensis bibliothecae Bodleianae⁸ saeculo quinto decimo conscriptus, qui pro designationibus vacuo spatio relicto textum tractatus cetera plenum atque integrum continet et, tamesti ipse quoque paulo deterioris notae est, ad fidem profecto Neapolitani codicis accedit propius quam Londiniensis.

his tribus manu scriptis usus octavam fere partem textus typis expressit Haskinsius⁹, fide tamen atque auctoritate Oxoniensis codicis prae ceteris duobus nixus. excerptis Hermannianis adiunxit praeterea admonentes de variis lectionibus notationes. plenum vero de essentiis textum litterarum formis exscribendum curavit Alonsus¹⁰. in qua editione paranda ita versatus est, ut codicem Oxoniensem, qui ei solus praesto fuerat, ex adnotationibus Haskinsianis, ubi illae usui esse potuerunt, corrigeret et expleret.

nunc ad propositum venio. nam simulacris photographica arte confectis annexus postquam codices Hermannianos manu scriptos cum Haskinsii et Alonsi editionibus attentius contuli, has a sinceritate manu scriptorum fontium suorum longe recedere pro certo habere potui. quin etiam utriusque harum editionum textus ingenti vitiorum multitudine ita inquinati sunt, ut editores (licet alioquin de Her-

⁶ id est: Ms. C. VIII. 50, f. 58—80.

⁷ cf. supra n. 3.

⁸ id est: C. C. C. Ms. 243, f. 91—115v.

⁹ haec Haskinsii excerpta vulgata sunt libro supra citato in n. 1.

¹⁰ editione scilicet Comillensi, de qua memoratum est supra in n. 2.

manno non parum meritos) nihil eorum, quae descripserunt, intellexisse credas. itaque, dum genuinum Hermannii calamum accuratius explicare et enodare cupio, placuit mihi, ut in manu scriptis recognoscendis procederem longius, nec non eadem de causa librorum typis vulgarum veritatem constitui in quaestionem vocare ac rem quasi in sua membra discerpere.

etenim menda, prout diversam originem trahunt, in quattuor ordines generales dividi possunt. quorum quidem (1) primo ordine librariorum errores comprehenduntur, qui protinus in duas classes subdividi possint, id est: in (a) ea librorum manu scriptorum vitia, quae editorum uterlibet emendavit, et in (b) menda librariorum, quae alteruter de editoribus aut etiam uterque eorum tacite iteravit; (2) secundo deinceps mendorum ordine comprehenduntur ea Haskinsii errata, quae Alonsus correxit, (3) tertio, quae Haskinsio auctore Alonsus reportavit, (4) quarto, quae alia identidem Alonsus in eas textus partes, ubi codice tantummodo Oxoniensi uti potuerat, de suo ipsius intulit.

(1/a) primi ordinis primae classis exempla — nam omnes locos enumerare longum est — haec sunt: in p. 36,1—16¹¹ in verborum comprehensione „sed nec quantitate minimam — eiusdem etenim corporis *parte* Lunam, Venerem et Mercurium Terra longe minores — in loco suo geometrica demonstratio dabit“ (lineam subter vocabulum discernendi causa duxi) Alonsus pro codicis „partes“ „parte“ scribendo perversam manu scripti lectionem sanavit; item in p. 57, 29, ubi illud „parallelam“ iuste posuit editor pro vitiosa manu scripti lectione „per abellam“.

(1/b) alterius classis errorum primi ordinis est exemplum in p. 24,3/4 in verbis „meministri, opinor, dum nos ex ad[d]itis nostris in publicam Minrve pompam produentes“: quam in vocabulo „additis“ seclusi litteram „d“, eam a librario temere inculcatam esse veri simile est, fortasse quia id, quod recte se haberet, scriba non intellexisset; tum exempli gratia in p. 82, 1/2 illud „Ysin, inquit, Osiris, *que* multa prestare bona propiciam... scimus“, ubi Alonsus pro recto „quam“ — quod addubitare non debes, si huic loco confers Apuleiano nomine inscriptum Hermetis Trimegisti de natura deorum dialogum in c. 37 — falsam codicis lectionem „que“ repetivit.

(2) secundi ordinis errata sunt, ut in p. 24, 25, ubi illud „iuris“ Oxoniensi codice innixus recte pro insana Haskinsii „viris“ lectione descripsit Alonsus, tum in p. 24, 28/29, ubi emandate scripsit „augustissimo“ codicis pro Haskinsii „angustissimo“, tum in p. 24,14 „expurgiscere“ pro mendosa scilicet Haskinsiana „expurgisce“ lectione transscripsit.

(3) exempla tertii ordinis sunt, ut in p. 24, 29, ubi maluit Alonsus falsam Haskinsii lectionem „vestri“ asciscere pro iusta codicum

¹¹ non modo hic locus, sed etiam omnes deinceps alii, qui citantur, loci ex Alonsi editione Comillensi referuntur et quidem ita, ut prioribus numerorum notis paginae, posterioribus versus indicentur.

„nostri“, tum simili modo in p. 26,2, ubi assumpsit ineptam Haskinsii „hoc“ pro recta codicum „hec“, tum pariter in p. 104, 17, ubi falsum Haskinsii „denum“ pro legitimo codicum „deinde“ arripuit.

(4) quarti ordinis exempla sunt, ut in p. 48,30/31, ubi scribens „integrum... semidiametrum“ pro recta manu scripti lectione „integram... semidiametrum“ Alonsus erravit, tum in p. 54, 9, ubi lapsus est „extendentem“ vitiose ponendo pro clara codicis „excedentem“ lectione, tum similiter in p. 52,25, ubi falso „superiorem“ pro illo codicis „superiorum“ transscripsit, nec non cetera quoque id genus.

at, quoniam omnium huiusmodi vitiorum ingens prorsus, ut supra dixi, numerus erat, visa est mihi etiam haec bipartita subdivisio: (A) altera mendorum subspecie comprehenduntur errata, quae textus Hermanniani perspicuitatem vel nullo vel minimo fere damno affecerunt, (B) altera vero subspecie comprehenduntur ea, quae integritati Hermannianae verborum comprehensionis maximopere obfuerunt.

(A) primae subspeciei exempla sunt, ut in p. 38,3 in illo „recte videlicet more *leruce* paludis exundans“, ubi nescio quo pacto editor insanum illud „leruce“ exscripsit pro vera codicis lectione „lernee“; tum in p. 80, 10, ubi falso „naturalem“ pro codicis „natalem“ positum est; tum in p. 100, 22, ubi Alonsus inepte „terrestri“ pro emendato condicis „pedestri“ descripsit.

(B) alterae subspeciei exempla haec sunt: in p. 37,36/37, ubi legitur „*quin* nec sensibilis nec intelligibilis soli tantum ymaginationi possibilis“, illud „quin“ pro recto codicis „quoniam“ positum est; deinde in p. 41, 7—9, ubi legitur „cum enim omne individuum ex substantiae essencieve genere *ex* sua specie constare manifestum sit“, ineptissimum „ex“ pro codicis iusto „et“ transcriptum est; deinde in p. 45,26—28, ubi legitur „assignandum, quonam artificio rerum auctor huiusmodi masse congeriem sic determinans eiusdem *figuras* informarit“, „*figuras*“ pro codicis „*figuris*“ descriptum est; tum in p. 27,24/25, ubi legitur „ut in *Almagesti siquidem* constat“, „*siquidem*“ pro codicis „*liquide*“ exscriptum est; tum in p. 51,31/32, ubi legitur „alteri substantiae *nature congruum*“, „*nature congruum*“ pro legitima codicis lectione „*nature cognatum*“ scriptum est; haud secus atque in p. 54,33/35, ubi legitur „*Solis radii lumen extinguit*“, hoc „*extinguit*“ pro codicis „*extinguunt*“ vitiose exscriptum est, deinde in p. 67,7, ubi legitur „*enim* quippe status simplex“, „*enim*“ pro codicis „*evum*“, tum in p. 71,27—72,1, ubi legitur „*Mercurius* Trimegistus proavo gloriatur“, „*Mercurius*“ pro codicis „*Mercurio*“, tum in p. 80, 11/12, ubi legitur „*patet* enim quantum *status* possit vel aquaticum extra aquas vel terrenum preter terram“, *status*“, pro codicis „*stare*“, tum in p. 88,31/32, ubi legitur „*quosque*... motus ad finem suum perveniant“, „*quosque*“ pro codicis „*quousque*“ perperam descriptum est.

ad haec omnia mala accedunt illa in litterarum et numerorum notis exscribendis vitia, quibus omnes fere geometricae Hermannii demonstrationes prorsus absurdissimae atque inde nimirum inutiles fac-

tae sunt¹², ut taceam res ad recte scribendi scientiam pertinentes, imprimis interpunctionem illam vesanam, quae saepenumero etiam ea, quae ceteroquin intellegere possis, infeliciter obumbravit.

atque haec quidem hactenus. iam demum expono, quae mihi videntur. Haskinsium re vera et Alonsum, viros egregios, quia Hermannii de essentiis tractatum e tenebris in lucem protulissent, de hocce optime promeritos exstitisse non sum qui negem. Alonsus scilicet, quandoquidem in editione sua concinnanda perexiguus instrumentis adiutus erat, idcirco in praefatione¹³ lectorem admonuit apparatus, quem vocant criticum, vere instruere semet in animo non habuisse, sed editionis disciplinae legibus congruentis munus atque ipsum a futuris investigatoribus expectare. at tamen fecerunt eodem tempore editores nostri, quod valde dolendum est, Hermannio iniuriam, quoniam neque Haskinsius pauca illa, qua excerpserat, satis accurate descripsit neque Alonsus unum hunc, qui ei praesto erat, codicem Oxoniensem emendate exscribebat. amplius ducenta Alonsi errata in solis octoginata paginis mirum nisi nimia sunt, cum praesertim maxima fere pars eorum una cum perversa distinguendi ratione pro orationis comprehensionibus intellectu plerumque facillimis ineptias quidem vocabulorum turbas vel dicam insanas verborum acervationes reddiderit. quae cum ita sint, tractatum Hermannianum illius editores haudquaquam recte intellexisse in aperto est ideoque plane nec quemquam ex eis, qui his editionibus innixi de eodem opere quovis modo posthac scribere conarentur, illud convenienter intellegere potuisse fieri nequit quin tibi persuadeatur.

ob hanc igitur causam, priusquam incipiamus inquirere, utrum Hermanniana oratio obscura sit an aperta, utrum illius tractatus compilatio an opus sit suum ac proprium, et antequam nostra profecto iudicia de Hermannii Dalmatae philosophia foras proferre moliamur, opus est nobis textu ex praeceptis artis diligenter recensito ac varietate lectionum legitime exorato. tum demum de iusta et iniusta ratione eiusmodi opinionum iure proprio disputare licebit.

scripsi Zagrabiae mense septembri anni 1983.

¹² ex. gr. cf. p. 54—56, ubi „s“ et „b“ litterae sunt inter se confusae, tum etiam p. 57—59, 68. 69. 96—100, ubi variis modis „b“, „s“, „c“, „e“, „g“, „h“, „f“, „t“ litterae commutantur aequae ac numerorum notae XI pro IX, XXVIII pro XXIII, CCCLX pro CCLX, CCLX pro CCXL ceteraque his consimilia.

¹³ cf. p. 18. 19 editionis laudatae supra ad n. 2.

S A Ž E T A K

*Antun Slavko Kalenić: DE TEXTU HERMANNII TRACTATUS QUI DE
ESSENTIIS INSCRIBITUR*

(Tekst Hermanove rasprave *O bitima*)

U tumačenju Hermanove rasprave *O bitima* — najprije na temelju Haskinsovih izdavanja, a zatim i na temelju Alonsova zdanja — okušao se veliki broj znanstvenika. I dok su pokušavali razumjeti i protumačiti ovo njegovo djelo, mnogi su primijetili da je Hermanov jezik teško čitljiv, a katkada i posve nesuvisao. Temeljitja međutim analiza Hermanovih rukopisa pokazuje da je za tu nečitljivost kriva doduše donekle i loša rukopisna predaja, ali da krivicu ipak ponajviše snosio nemar priređivača spomenutih tiskanih tekstova.

DISKUSIJA O REFERATU A. S. KALENIĆA

Kajetan Gantar:

Utrum Hermannus ille, de quo orationem habuisti, Hermannus Dalmata an potius et rectius Hermannus de Carinthia appellandus est? Nam in plerisque libris et disputationibus nomen Hermannii ita scriptum invenitur. Ut exemplo utar, et Manuel Alonso, vir doctus ille Hispaniensis, cuius in oratione tua mentionem fecisti, hunc titulum editioni suae dedit: Hermann de Carintia, De essentiis (Santander 1946). Et Hermannus ipse patriam suam hoc vocabulo descripsit. Nam in descriptione terrarum Europae, quam Hermannus in Libro introductorio in astrologiam Albumazar fecit, hic locus invenitur:

Grecie (sc. partes) octo: Dalmatia, Epirus cum Misia, Dardania, Attica (cuius due partes Boetia et Paenelopensis), deinde Thessalia (cuius due partes Pieria et Archadia), deinde Macedonia, Achaia, Lacedemonia. Istrie tres (sc. partes), maritima et montana, in medio patria nostra Karinthia.

Hic locus tam clarus est, ut nihil de origine Hermannii in dubio relinquatur. Praeterea et in titulo manuscripti Lovaniensis MS 217 (saec. XII) ad versione Astrolabii haec sententia adscripta erat: Hermannus iste astrologus fuit natus de Karinthia, non Contractus de Suevia. Cf. H. Haskins, *Studies in the History of Mediaeval Science* (Cambridge 1924), p. 54, n. 63. At hic codex, ut me bibliothecarius Lovaniensis E. Massaux per litteras certiore fecit, bello mundano secundo (in mense Maio 1940) extinctus est.

Haud scio an epitheton „Dalmata“ apud Hermannum synonymum pro epitheto „Sclavus“ sit, ut saepe apud scriptores mediae et humanisticae aetatis occurrit. Cuius significationis plura exempla nunc modo Bruna Kuntić — Makvić in oratione sua attulit.

Antun S. Kalenić:

Novi disputationem tuam, quam hac de quaestione iam pridem publicavisti ibique expositam demonstrationem in honore habeo. Sed qui varietatem nominum Hermannianorum ad argumentum expositionis meae minus pertinere existimavi, totam quaestionem tacite praeterire ausus sum. Quamquam rem fortasse annotatione saltem quadam dignam fuisse non diffiteor.